61599/P [P.]

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE VARIOLIS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu,*

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER GORDON, SCOTUS.

Ad diem 11 Junii, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL,

M,DCC,LIV.

316709

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

VIRO ORNATISSIMO,

THOMAE KIRKPATRICK,

DE CLOSEBURN, EQUITI AURATO,

MIRA MORUM SUAVITATE,

OPTIMISQUE VIRTUTIBUS

PRAEDITO:

NEC NON,

GENEROSISSIMO AC INTEGERRIMO VIRO,

GULIELMO GORDON,

APUD BRISTOLIENSES MERCATORI;

OB AMICITIAM BENEVOLENTIAMQUE RARAM

AEQUE CONSPICUO;

BENEFICIIS QUAM PLURIMIS DEVINCTUS,

TENTAMEN HOC QUALECUNQUE MEDICUM,

GRATI ANIMI INDICIUM,

D. D. D.

ALEX. GORDON.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30354535

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLIS.

§ 1. QUAMVIS veteres nihil de hoc morbo peſtifero tradiderunt, medicos tamen recentiores minime latet; nec mirum, cum pauci admodum per totam vitam a variolis immunes maneant, eorumque, qui iis corripiuntur, ſextus vel ſeptimus quiſque pereat *.

§ 2. Scriptores, hujus morbi originem ad initium ſeculi ſeptimi referunt †. Adhuc autem incertum eſt, ubi primum exordium habuerit. De VARIOLIS nihil ſcriptum invenitur ante tempora medicorum Arabum; horum vero primus celeberri-

* Vid. Biſhop of WORCESTER's ſermon on Inoculation, p. 11.

† FREIND's Hiſt. of Phyſic, edit. Lat. tom. 1. p. 305.

mus RHAZES, quid de iis ſenſerint, uberrime tradit, earumque genera varia atque curandi methodum diſtinctius explicat *.

§ 3. VARIOLAE ita fortaſſe appellantur, quaſi PARVI VARI, quoniam cutem variant. Verae autem variolae, de quibus hic ſermo eſt, omnino diſtinguendae ſunt a puſtulis, illis variolis ſimilibus, quae noſtro idiomate vocantur, *The chicken pox.* Hae, quidem, puſtulae variolis veris figura et magnitudine ſimiles ſunt; ab iis tamen eo diſtinguuntur, quod, dum variolae verae cum rubore et inflammatione apparent, falſae magis albae ſunt, et quaſi veſiculae humore tenuiore repletae, quae poſt triduum diſrumpuntur et exſiccantur. Porro, ſine ulla febre plerumque erumpunt, vix ullum periculum adferunt, et raro medici auxilium poſtulant.

§ 4. Variolarum cauſam veram me plane ignorare fateor, neque variis conjecturis indulgere in animo eſt. Veriſimile autem videtur, aliquid nobis connatum, corpora noſtra huic contagioni obnoxia reddere. Homines ſemper in hunc morbum procliviores

* RHAZES circa annum æræ chriſtianae nongenteſimum inclaruit.

viores fuiſſe inde patet, quod Americani, apud quos variolae ignotae erant ante Europaeorum in illas regiones adventum, hodie aeque facile ac noſtrates iis afficiantur. Apud Indos Occidentales nunquam viſae fuerunt variolae, donec Hiſpani eo pervenerant; per Æthiopis autem cujuſdam contagionem illuc delatae magnam Indorum ſtragem ediderunt. Atque Helbigius affirmat variolas, ante commercium Hollandicum, incolas Indiae Orientalis nunquam tentaſſe *.

§ 5. Utcunque vero hoc ſit, priuſquam aëris conſtitutio epidemico-varioloſa variolas elicuiſſet, conjicere licet eas nuſquam gentium notas fuiſſe.

§ 6. Qualis autem ſit haec aëris peculiaris temperies, quae, cum cauſa in corpore ad variolas praediſponente juncta, hunc morbum producit, haud facile dictu eſt. Hoc tantum novimus, fluida hominum, qui variolis antea non laboraverunt, talis eſſe indolis, ut miaſmate aëris varioloſo tacta, a ſtatu naturali cito inſigniter degenerent, atque mutationes in corpore notabiles producant.

* Allen's Synopſis, tom. i. p. 64.

cant. Naturae morborumque obſervator accuratus SYDENHAMUS notat, "Febrilem "ſanguinis commotionem ſaepe non alio "collineare, quam ut ipſe ſeſe in novum "quendam ſtatum et diatheſin immutet, "hominemque etiam cui ſanguis purus et "intaminatus perſtat, praecedente inſigni "aliqua aëris mutatione, identidem febri "corripi poſſe; propterea quod ejus ſan-"guis novum ſtatum et conditionem adi-"piſci geſtit, qualem ejuſmodi aër poſtu-"laverit *." Atque omnibus notum eſt, homines peregrinantes, qui, longa itinera emenſi, in diſſitis regionibus vivunt, febre quadam plerumque corripi, quamvis antea ſaniſſimi fuerint, et inde corpora illorum ita mutari ut aërem victumque iſtius loci facile poſtea ferant.

§ 7. Febris epidemico-varioloſa aliquando eodem tempore cum variolis graſſatur, veneno varioloſo tantum quod ad effectus ſuos variante. Annis 1667-68, et parte anni 1669, febris inſignis dominabatur, ab iſta aëris conſtitutione, quae eodem tempore variolas producebat. Narrat SYDEN-

HAMUS,

* Sect. I. cap. iv.

HAMUS, " Cum variolis ingreſſa ſtetit, cum " iiſdem ceciditque.—Ita profecto dicta fe- " bris, ſi non eadem plane eſſet, ejuſdem " fere cum illis naturae atque indolis per " omnia videbatur; demptis ſolummodo " ſymptomatis iſtis, quae eruptionis vel " conſequentia vel effecta erant neceſſaria. " Nam eodem modo uterque morbus ad- " grediebatur, dolor idem in partibus quae " cordis ſcorbiculo ſubjacent, ſi manus ad- " moveretur: linguae item color, urinae " conſiſtentia, &c.* "

§ 8. Quoties aëris temperies varioloſa accidit, homines antea variolas non paſſi, hoc morbo afficiuntur, unde fluidorum indoles ita immutatur, ut, in poſterum, neque illi obnoxii ſint, nec ejus incommodis ullatenus vexentur. In aliis morbis, etiam quos febris comitatur, hominum corpora ſic mutantur, ut poſtea cauſas illas, licet ſaepe applicatas, impune ferant, a quibus prius in hos morbos inciderant. Notat enim THUCYDIDES, homines qui dira Athenienſium peſte correpti evaſerunt, poſtea ab ea immunes fuiſſe †.

§ 9.

* Cap. iii.

† De bello Peloponeſiaco, lib. 2.

§ 9. Foetus in utero, matre interim non affecta, variolis aliquando corripitur, uti teſtatur ornatiſſimus RICARDUS MEAD, cujus haec ſunt verba; "Memini mulierem "quandam, quae ipſa morbum hunc diu "antea perpeſſa erat, marito ſuo eodem la-"boranti ſub finem graviditatis aſſidue aſſi-"dentem, foetum recto partus tempore e-"nixam eſſe. Et illa de variolis nihil con-"traxit; foetus vero mortuus, totoque cor-"pore, mirum viſu! puſtulis foedatus, ſe "nondum in luminis oras egreſſum, lue "hac conſumptum fuiſſe manifeſte com-"probavit *.

§ 10. Ex jam dictis (§ 7. 8. 9.) igitur, ultra omnem dubitationis aleam patet, neminem mortalium variolarum periculum bis unquam ſubire poſſe.

§ 11. Quamvis miaſmatis varioloſi (§ 8.) per aërem ſparſi peculiaris natura nos penitus latet; certo tamen ſcimus, variolarum quantitatem aut qualitatem ab aëris contagione ſola minime pendere. Saepius enim ipſe obſervavi eandem contagionem, variolarum genera diverſiſſima in eadem familia

* MEAD de variolis, p. 66.

lia creaſſe. Aliis namque mitiſſimae ſunt, aliis periculoſae et malignae, prout temperamenta corporum variant. Porro, idem pus varioloſum, corpori inſitione infuſum, febris gradus admodum diverſos, varioſque in variis aegris puſtularum numeros, generat. Unde conſtat, peculiarem humorum indolem et corporis temperiem ad variolarum numerum et qualitatem praefiniendam magnopere conferre.

§ 12. Quoties autem variolae ſolito ferociores per populum graſſantur, hoc miaſmati magis peſtifero vel aëris temperiei magis exitiali adſcribendum eſſe, cuivis patebit, qui modo advertit (uti ait SYDENHAMUS) "Unum eundemque morbum certa "aliqua tempeſtate infinitam mortalium "vim corripere ac epidemicum fieri, ali"as tamen unum alterumve hominem af"flixiſſe contentum, ulterius non graſſari. "De variolis res eſt ſat ſuperque manife"ſta"*. Porro, ſagax HUXHAMUS notavit ſingularem hunc aëris ſtatum, certis qualitatibus in fluida atque ſolida corporis noſtri introductis, homines febribus peculiaribus obnoxios reddere; alia quippe coeli conſtitutio

* Sect. 2. cap. 2.

conſtitutio febribus inflammatoriis, alia lentis, remittentibus, et intermittentibus, tertia denique putridis, malignis, et purpureis, opportuna reperitur *.

§ 13. Quoties igitur certae quaedam aëris conſtitutiones cum contagione varioloſa coincidunt, variolas diverſi generis, et plus minusve malignas, producunt.

§ 14. Rationi non minus quam obſervationi conſentaneum videtur morbos epidemicos, qui ab aëris qualitatibus manifeſtis, frigore, calore, ſiccitate, humiditate, &c. deduci nequeunt, ortum, incrementum, maturitatem, caſum, et exitum debere vaporibus quibuſdam noxiis et contagioſis aërem inficientibus, qui, quanquam ſubtiliores ſint quam ut ſenſibus ſubjiciantur, corpora tamen humana facile turbare poſſunt. Aëris autem conſtitutiones quaſdam, variolas funeſtas et peſtiferas aliquando progignere, nemini non notum eſt.

§ 15. Ex dictis igitur patet, ſi humores in certo ſtatu ſervari, vel vitiati ad hunc ſtatum reduci, atque cauſae ſupra memoratae vitari vel mitigari queant; homines vim

* Eſſay on fevers and ſmall pox, p. 131.

vim contagii varioloſi magna ex parte eſfugere poſſe. Hincque inſitionis magna commoda, ex temporis opportunitate aliisque conditionibus, oriunda.

§ 16. Quamvis infectio varioloſa morbum eundem ſpecificum producit, tamen hujus morbi gradus longe diverſi ſunt, non ſolum pro miaſmatis varioloſi, ſed etiam pro conſtitutionum epidemicarum aëris, anni temporum, ſexûs, aetatis atque temperamentorum in ſingulis corporibus, varietate; denique variolas multum variant ea, quae corpori contingunt ab infectionis initio uſque ad tempus quo morbus propriis ſignis ſe prodat.

§ 17. Hiſce de contagione varioloſa breviter obſervatis, nunc variolarum hiſtoriam paucis enarrabimus, prius de iis quae nullas malignitatis notas habent, poſtea de malignis dicturi.

§ 18. Quando miaſmata varioloſa vel contagio in aëre obvolitans in pulmones inſpiratur, aut per os, oeſophagum, ſtomachum, vel inteſtina in ſanguinem recipitur; humores noſtros, latentis fermenti adinſtar, in alienam naturam ſenſim mutat,

varioſque effectus parit ordine quodam ſe mutuo excipientes, viz. horripulationem, rigorem febrilem, calorem internum, febrim acutam, ingentem ſitim, ſpirandi diſficultatem, inſomnia turbata, capitis et dorſi vehementem dolorem, ſtuporem, ſomnolentiam, nauſeam, vomituritionem, urinam rubicundam et contentis bene ſaturatam; in adultis ingentem in ſudores propenſionem, doloris ſenſum in partibus quae ſcorbiculo cordis ſubjacent, ſi manu prematur; in infantibus aliquando paroxyſmos epilepticos.

§ 19. Febris quae a contagione in ſanguinem recepta excitatur, materiam varioloſam ſenſim concoquit, et, haud ita multo poſt, a ſanis humoribus ſeparat, per puſtularum eruptionem, quae die tertio, ut plurimum, ſe monſtrat; quo tempore, vel die ſequente, ſymptomata minuuntur, nonnunquam penitus evaneſcunt.

§ 20. Eruptio haec, 1mo, Exanthematis parvulis inſtar acûs puncturarum, in facie, collo, pectore, dein toto corpore, ſe prodit. 2do, Poſt unum alterumve diem, puſtulae vel abſceſſuli baſes ſuas ampliant,

et

et ſenſim magis acuminatae deveniunt. 3tio, Triduo, poſt eruptionem, elapſo, puſtulae, non ſecus ac alia tubercula inflammata, concoqui incipiunt; et materia venenata tenuior, ſerius vel citius pro morbi indole et naturae viribus, in pus magis ſpiſſum mutata flaveſcit; puſtulaeque aſperiores et ſubalbae evadunt. 4to, Puſtulae indies grandeſcentes et magis acuminatae cutim vicinam rubore et inflammatione afficiunt. 5to, Die, a primo inſultu, plerumque octavo, intervalla quae prius ſubalbeſcebant, pro vario puſtularum numero, magis vel minus rubere atque in tumorem attolli incipiunt, non ſine partium dolore et tenſione. 6to, Progrediente morbo, palpebrae adeo humoribus obruuntur, ut aeger non raro luce privetur, dum palpebra tumida veſicam inflatam et pellucidam refert. 7mo, Poſt faciem, manus intumeſcunt, digitique, pro puſtularum numero, magis minusve diſtenduntur; manuum interim et faciei inflatio ad ſummum evecta, in puſtularum interſtitiis colorem ſatis floridum exhibet.

§ 21. Quo mitiores et magis genuinae ſunt variolae, eo magis tum ipſae puſtulae tum cutis in earum interſtitiis colores ſupradictos (§ 20) exprimunt. Quae vero faciem occupant puſtulae, aſperiores quotidie et magis flavae, pro maturationis ratione; contra, quae manus et reliquum corpus, minus aſperae magiſque albae indies conſpiciuntur.

§ 22. Si puſtulae fuerint figurae accurate rotundae, et margine admodum rubro circumcinctae, neque eruptionibus miliaribus, petechiis, vel exitiali quavis alia nota interpunctae; ſi die primo maturationis in ſummitate albae et tumore turgidae, die ſecundo circa baſin auctae, magis acuminatae et minus pellucidae; denique ſi die tertio materia in pus convertatur; eventus, die morbi duodecimo, inſecuturus, ſalutaris erit.

§ 23. Undecimo vel duodecimo, a primo morbi inſultu, die, inflammatio tumorque faciei ſatis aperte recedunt: puſtulaeque tam faciei quam reliqui corporis jam maturitatem et piſi grandiuſculi magnitudinem ſaepe adeptae exareſcere incipiunt; die autem

14mo,

14mo vel 15mo, ut plurimum, funditus pereunt.

§ 24. Puſtulae vero manuum, caeterarum partium puſtulis ſaepe pertinaciores, adhuc albae atque recentes, diei unius vel alterius mora vincuntur.

§ 25. Puſtulis faciei ſquammulae furfuraceae ſuccedunt, quas foveae cutis aliquando excipiunt: ubi primum autem decidunt puſtulae, nulla adhuc in cute cernitur inaequalitas; attamen exſurgentibus hujuſmodi ſquammulis, recedentibuſque viciſſim, tandem excavantur foveae iſtae, quae ſaepenumero, in convaleſcentibus ab hoc morbo, diu conſpiciuntur. Variolae vero ſimplices et benignae raro ulla ſui linquunt veſtigia.

De variolis malignis proxime dicemus.

§ 26. Variolae Malignae ſymptomata ante eruptionem cum mitibus communia habent; niſi quod omnia ſint atrociora: anxietas, aegritudo, vomituritio, febris, &c. immanius affligunt. Dolor acutiſſimus in lumborum regione, obſervante Sydenhamo, nunc paroxyſmi nephritici aemulus, nunc in latere qualis pleuriticos

vexat,

vexat, nunc denique in ventriculo, vomitu enormi ingentique aegritudine, aegrum ante eruptionem angit.

§ 27. Quando cum febre maligna (§ 26), ſe oſtendunt variolae ad maturitatem aegrè perveniunt et prorſus non ſuppurant; aut ſi quando id eveniat, calore febrili nunquam remittente, non ſine magna moleſtia in cruſtulas vertuntur.

§ 28. Quoties autem ſymptomata (§ 26) ſolito vehementiora agmen ducunt, aegri vita in ſummo verſatur diſcrimine; haec enim ſatis aperte indicant variolas ſecuturas generis maligni eſſe; materia enim morboſa, vel propter malignitatem, vel morbi magnitudinem, per vaſcula cutanea, ſatis prompte protrudi nequit; hinc, notante Sydenhamo, nonnunquam non apparent ante diem quintum a morbi inſultu; hincque febris multaque alia dira ſymptomata etiam ad plures dies poſt puſtularum eruptionem aegrum diſcruciant.

§ 29. Species vero haec maligna, aliquando ante diem tertium erumpit. Quanto autem citius, die tertio, ſe prodit eruptio, tanto magis confluent variolae.

§ 30.

§ 30. In *malignis*, omnes humores plus minuſve, pro ratione morbi, corrumpuntur. Malignitas vero indicatur,

1. Quando parvae admodum ſunt puſtulae et cohaerentes; et ſi non parvae ſint, cum maculis lividis, eruptione miliari vel petechiis conjunctae.

2. Interdum fit ut liquor tenuis aquoſus exprimatur, qui variolas *chryſtallinas* vel *lymphaticas* gignit. 3. Si ſpiſſior et tenax, *verrucoſas* producit. 4. Si vero intus recedat materia, et veſiculas vacuas relinquit, variolae a cl. Freindio *ſiliquoſae* vocantur. 5. Non raro contingit, ut a ſanguine nimium ſoluto, et acri e vaſis cutaneis effuſo, cutis maculis nigris gangraenoſis defoedetur. Per omnes corporis meatus, praecipue vero urinarios, cruor nonnunquam profluit. Unde haec ſpecies variolarum *ſanguineae* dicuntur.

6. Quando cutis praeſertim faciei, inſtar tumoris eryſipelatoſi, maculis nigris hic illic interſperſis cum aequali ſuperficie craſſeſcit; creſcente morbo, variolae, quae faciem praeſertim occupaverunt, non uti ſimplices, in ſpectabilem molem adtolluntur,

ſed ſibi invicem implicitae, primo inſtar veſiculae rubrae totum vultum contegentis apparent, quem etiam in tumorem maturius elevant, quam ſolent ſimplices. Dein vero, inſtar albae pelliculae quaſi agglutinatae cutis ſolitam ſuperficiem non multum ſuperant. Die octavo vel nono praeterlapſo, pellicula alba indies magis aſpera evadit, coloremque fuſcum, non autem flavum uti in ſimplicibus variolis, acquirit. Pellicula haec tandem deſquammatur; ſed ſi morbus truculentior fuerit, non niſi laminis latioribus, et poſt diem vigeſimum vel vigeſimum primum; nulla vero ſcabritie vultum afficit, aſt illam mox excipiunt ſqammulae purpuraceae, indolis corroſivae, quae non modo foveas patentiores excavant, ſed cicatricibus etiam foediſſimis faciem deturpant. Si ſaevior fuerit morbus, dorſum et lumbi nonnunquam excoriantur.

7. Variolae aliquando ſe monſtrant ſecundo die, tumore ſubrubro et uniformi in quibuſdam locis: in femoribus praeſertim veſiculae ambuſtorum adinſtar, ſero limpido diſtentae eminent; quod, pellicula diſ-

rupta,

rupta, copioſe effluit, carne ſubjecta nigredine, et quaſi ſphacelo affectâ *.

§ 31. Quanto minus confluxerint, quo magis flaveſcant, et ocius ſe proripiant puſtulae, ſpes tanto melior eſt. Quanto autem atrociores fuerint variolae, tanto magis puſtulae matureſcentes ad colorem ſubfuſcum vergunt, et tanto etiam lentius, ſi ingenio ſuo utantur, abſcedunt.—"Quo magis puſtularum materies pus blandum et "perfectum refert, eo melius. Quo vero "materies puſtularum ichorem gangraeno-"ſum plus refert, eo pejus.—Quo ſpatium "inter puſtulas magis rubet, calet, tendi-"tur, tumet circa tempus abſceſſus; eo me-"lior ſpes, ob circulationem hic remanen-"tem.—Quo idem plus pallet, vel fuſcum "evadit, eo pejus: angina ſequitur lethalis "aut peripneumonia; niſi ſalivatio liquida, "vel ingens tumor manuum pedumve ac-"ceſſerit, ratio eſt liquorum hic impedita, "hinc ad interiora aucta circulatio †."

C § 32.

* Sydenham. oper. cap. vi. de variol. anomal. 1670—71.—72.

† Boerhaave Aphoriſm. No. 1398.

§ 32. Variolae, pro puſtularum numero quae faciem occupant, periculoſae aeſtimandae ſunt. Si puſtulis, tanquam injecta arena, facies ubique contegatur; utut paucae et ſimplices vel diſcretae ſint eae quae in reliquo corpore cernuntur, aeger haud minus periclitatur, quam ſi omnia membra agmine denſo pervaſerint. E contrario, etiamſi artus et truncum corporis confertiores occupaverint variolae; ſi in facie rariores ſint, res magis in vado eſt. Non igitur medico, in praxi verſato, difficile erit, ex vultu aegri praedicere, an benignus malignuſve futurus ſit morbus.

§ 33. Salivatio in adultis et diarrhoea in junioribus ſymptomata ſunt magni ſanè momenti. Prius horum variolas malignas fere nunquam non comitatur; Sydenhamus enim unicum tantum aegrum his variolis laborantem vidit cui nulla ſuperveniebat ſalivatio. Poſterius vero infantes non ita certo diſcruciat. Equidem provida Natura mihi videtur evacuationes has in humili variolarum genere ſubſtituiſſe; quoniam materia morbifica in his non adeo facile exterminari poteſt, ac in variolis magis benignis et cum

puſtulis

puſtulis majoribus. Huic opinioni auctoritatem ſuam adhibuit ſagax SYDENHAMUS. "Hoc (inquit) certe ſcio quod non ſolum "variolas plerumque comitantur, ſed etiam, "quae per illas fit evacuatio, tam eſt neceſſa- "ria, quam ſunt vel puſtulae, vel faciei et ma- "nuum intumeſcentia." Obſervavit porro, "aegros, ut plurimum, die undecimo mori; "quia hoc fere tempore, ſalivatio, quae ae- "grum hactenus in tuto poſuit, ſoleat ſponte "ſua deſinere: dicitque, niſi faciei intu- "meſcentia, adhuc aliquantulum perſiſtens, "ac manuum inſigniter jam incipiens, ejus "vicem ſubeat; neceſſe eſſe ut aeger pereat: "id enim eſſe perpendendum quod in hoc "variolarum genere, ubi puſtulae tam ſint "exiguae, non ſalivatio tantum, ſed faciei "inſuper et manuum intumeſcentia, ad ma- "teriam morbificam eliminandam omnino "requiruntur, quarum utralibet, ſi vel non "adſit, vel ante juſtum tempus recedat, ae- "gro protinus eſſe moriendum."

§ 34. Quocunque tempore ingruerit diarrhoea, ſi arte non ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia percurrit. Hanc evacuationem materiae morbificae, die undecimo vel duodecimo ſponte

ſponte ſupervenientem, juniores ab omni mortis periculo conſervaſſe ſaepius obſervavi.

§ 35. Si atrociſſimum ſit malum, ſub veſperam aeger, quaſi paroxyſmo laborabit; ſymptomata ſaltem horis veſpertinis ſemper exacerbantur.

§ 36. Obſervatu dignum videtur, quod ex cadaverum inciſione non modo corporis exteriora, ſed quoque interiora, variolis affici diſcimus. "Ut externum (ait magnus "Boerhaavius), ita oculos, narium omnes "membranas, oris velamenta, bronchia, "oeſophagum, ſtomachum, inteſtina, jecur, "lienem, pulmones, obſideri his puſtulis."* Atque cl. Mead vidit cerebrum, jecur, et inteſtina, puſtulis tota conſperſa †.

CURATIO.

§ 37. Duo hic peragenda ſibi proponunt medici, ſcil. ut ſanguinis commotio aequabilis conſervetur, uſque ad materiae morbificae ſeparationem vel expulſionem, et ut abſceſſuli vel puſtulae ſumma cura ſuſtineantur,

* Aphoriſm. No. 1403.
† De variolis et morbill. p. 36.

neantur, donec penitus evaneſcant. Anni tempeſtas, aegrorum aetas, ac vitae ratio, aliaque huc ſpectantia, ſimul penſanda veniunt.

§ 38. In primo morbi ſtadio maxime cavendum eſt ne ex liquoris poſſetici, vini, vel ſpiritus vini Gallici potatione, medicamentorum calidorum uſu, aëre loci excalefacto, vel denique ex congeſtis ſtragulis, nimia adſurgat ebullitio.* Sin autem febris ad materiae morbificae expulſionem nimis debilis videatur, balneo tepido pedum †, vino cum aqua miſto, liquore poſſetico, vel julapio cardiaco excitanda eſt. Pro potu ordinario, bibat aquam cum lacte cocto, decoctum hordei, decoctum pectorale tenuius pharmacop. *Edinb.* infuſum ſeminis lini; vel R. aq. font. cum pane toſt. incoct. lib. ii. vin. Rhenan. lib. ſs. gelatin. ribeſior. unc. i. M.

Dum aeger febricitat, victus ſit humidus, levis, et tenuis; HIPPOCRATES enim dicit, "Victus humidus febricitantibus omnibus "confert,

* Vid. HARRIS de morb. acut. infant. p. 89. BOERHAAVE aphor. No. 1399.

† Vid. Medical Eſſays, Vol. v. part 2. edit. 3. p. 341.

" confert, maxime vero pueris, et aliis tali " victu uti conſuetis*:" atque BOERHAAVIUS ait, " In primo initio apparentis in" flammationis externae videtur requiri " cautela ne vergat in ſuppurationem, quod " fit primo victu tenuiſſimo putredini re" ſiſtenti, &c. †."

§ 39. Ad eruptionem facilitandam utiliſſimum eſt conſilium ingenioſi medici JOANNIS STEVENSON, ſcil. cutem non faciei tantum, ſed etiam crurum, totiuſque corporis, linteo aqua tepida madefacto ter quaterve die fovere. A quo vix differt RHAZES, inter Arabas ſcriptor vetuſtus aeque ac celebris; cujus haec ſunt verba ‡; " Sub illo " appone duas pelves parvas, in quibus ſit " aqua fervens, una ante illum, et alterum " pone ipſum, ita ut vapor ad univerſum " corpus pertingat, facie excepta, ſicque " rarefiat cutis, faciliorque reddatur ad ex" cipiendum humorem illum, eumque pro" trudendum."—Poſtea ait, " Fit autem ut " hac regiminis ratione ſuperficies corporis " molleſcat, ſimul et aegroti vires ſerventur;

" neque

* HIPPOCRAT. Aphor. ſect. I. No. 16.

† BOERHAAV. Aphor. No. 353.

‡ Ed. MEAD. cap. 17. p. 144.

neque ulla res in hoc ſtatu magis opportuna eſt; nempe involutione veſtium, et frictione et fomentatione cum aqua calida, quemadmodum memoravimus.

§ 40. Poſt materiae ſeparationem, vel eruptionem finitam, omni nocte, hora ſomni, detur paregoricum; puſtularum enim ſuppuratio quiete et ſomno multum promovetur.

§ 41. Si febris adhuc durat, una cum ſuppreſſo ventre, alvus ſecundo vel tertio quoque die clyſmate ducenda eſt. Suppoſitorium quod ante aliquot annos mecum communicavit foemina, omnibus virtutibus nobilis, junioribus apprime convenit. R. mellis et ſalis commun. *ana* q. v. Coquantur ſuper ignem leniſſimum ad cerae ſigilla liquefactae conſiſtentiam, ut cito cum manibus madefactis in ſuppoſitorii formam redigatur, et citiſſime uſui adhibeatur, quoniam in aëre liqueſcit.

§ 42. Si hoc tempore aeger diarrhoea corripitur, uſu decocti albi Pharm. Edinb. pulverum abſorbentium, diaſcordii, ſyrupi papaveris albi, vel laudani liquidi, minui vel ſiſti poſſit.

§ 43.

§ 43. Puſtulis ad ſummam maturitatem provectis, ut febris hoc tempore contingens minuatur, in juvenibus et adultis ſanguis detrahendus eſt: ſi vero reſpiratio difficilis ſit, venaeſectio bis terve repetita ſaepe convenit. Alvus clyſmate emolliente et laxante ſolvenda eſt; dein catharticum lene, altero vel tertio quoque die, exhibendum. Si haec tempeſtive et prudenter adhibentur, febris ſecundaria, ut plurimum, haud magnum diſcrimen affert: hiſce autem omnino omiſſis, febris putrida et quidem periculoſiſſima haud raro accenditur. Materia enim purulenta in ſanguinem recepta, et una cum illo per corporis vaſa diu circumacta, putredine et acrimonia ſua omnes humores inficit, febrem peſſimae indolis excitat, atque pro vario ejus delapſu in diverſas corporis partes, varios quidem et diros parit effectus; ſcil. "Deliria, phrenitides, an-
" ginas, peripneumonias, pleuritides, vo-
" mitus, dyſenterias, hepatitidem, apo-
" ſtemata, anthracas, juncturarum tu-
" mores, abſceſſus, immobilitates, tabem,
" phthiſin, et infinita ſimilia" *.

§ 44.

* Boerhaave, Aphor. p. 354.

§ 44. Ut autem morbi reliquiae, e corpore eliminentur, aegro convaleſcente, ſi vires adhuc conſtant, ſanguis iterum detrahendus eſt, et medicamentis purgantibus, poſt intervalla idonea repetitis, alvus cienda. Hiſce denique peractis, lacte, imprimis, aſinino, cibisque commodis, ac ruris amoenitatibus, corpori robur conſuetum conciliandum eſt. Haec de variolis benignis, dixiſſe ſat eſt: nunc de malignarum curatione quaedam breviter monenda ſunt.

§ 45. Quando phrenitis vel ſymptomata (§ 26.) imminent, vel ſi inflammationis magnae ſigna adſint; ſanguis primo e brachio, dein e pede mittendus; cutis, linteis aqua tepida imbutis diligenter fovenda. (§ 39.) Atque cataplaſmata e rapis, capit. papav. albi, et pane albo in aqua et lacte coctis, plantis pedum bis die applicanda ſunt.

Ad febrem, porro, moderandam, et ſanguinis commotionem nimiam refraenandam, quo felicius materia varioloſa per vaſa cutanea ſub puſtularum forma expellatur, pulverem ſequentem ex hauſtu potus ordinarii quarta quaque hora deglutiat aeger: R. be-

zoard. mineral. ſcrup. ii. ſs. nitri puri gr. xxv. M. pro doſi. Si poſt venaeſectionem, aeger nauſea vel vomitu angitur, emeticum lene ex tinctura ipecacuanae prodeſt, et inter vomendum bibat aeger infuſum florum chamoemel. Si vomitus autem, poſt emetici operationem finitum, adhuc durat, compeſcendus eſt miſtura ex aq. vel tinct. menth. ſucci limonior. ſal. abſinth. et ſyr. aurantior.

In morbo atrociori, ad medicamenta quae dolorem levant ſomnumque inducunt, non temere confugiendum eſt. Humoris enim ſeparationi a ſanguine quodammodo obſtare videntur omnia anodyna.

Victus et potus ſint, ut in benignis. (§ 38.)

§ 46. Hoffmannus* et Huxhamus†, ex pediluvii tepidi uſu impetum ſanguinis a capite et pectore verſus pedes derivari, affirmant: ſed ſi pediluvium ſanguine calidius, imo niſi eo paulo frigidius ſit; verendum eſt ne humores rarefaciendo plus noceat, quam eos verſus pedes derivando proſit. Quare in variolis et morbis capitis et pecto-

ris

* Oper. tom. I. p. 466.

† *Eſſay on fevers*, &c. p. 136.

ris inflammatoriis, pediluvium calidum vitandum, et ſubtepidum tantum adhibendum.

§ 47. Ad primam variolarum malignarum ſpeciem curandam (§ 30.), optime conducit cortex Peruvianus, tam per os quam ſub clyſmatis forma intra corpus introductus, cujus vires in hoc morbo primus expoſuit celebris MONRO *.

§ 48. Variolae chryſtallinae (§ 30. No. 2.) nunquam rite ſuppurantur, ſed ad ultimum aquoſae et crudae manent, in multis locis cohaerent, confluunt, tandemque diſrumpuntur, parteſque quas obſident, ventriculum, inteſtina, pulmones, &c. acrimonia ſua, quaſi oleo vitrioli effuſo, exulcerant et urunt, donec aeger miſerrimus e vita deceſſerit.

Quando materia tenuis et cruda in ſanguinem reſorpta, puſtulas flaccidas vacuas et SILIQUOSAS relinquit, ſymptomata terribilia inducit in mortem plerumque terminantia; rigores enim convulſivi, peripneumonia, delirium, dyſenteria, aegrum ad ultimum vitae momentum excruciant. Sin autem, quod aliquando fit, materia nociva per diarrhoeam

* Med. Eſſays, Vol. v. p. 84.

arrhoeam vel magnam urinae copiam evacuatur, aegri nonnunquam convaleſcunt. Quando alvi dejectiones coloris nigri, ſanioſi vel ſanguinei ſunt, gangraenam inteſtinorum indicant, praeſertim ſi tumeat abdomen, vel in eo ſit dolor acutus. Contra variolas chryſtallinas conveniunt medicamenta quae humorum tenuiorum ſecretionem per renes augent, v. g. nitr. ad drach. ii. ter quaterve die in vino tenuiori ſolutum. Si vero urina tenuis, aquoſa et cruda ſit, medicamina calidiora proſunt, ſcil. pulv. contrayerv. comp. myrrh. crocus, vinum-Rhenanum, camphora. Sagax atque experientiſſimus apud Briſtolienſes Medicus LOGAN theriacae uſum, in hac variolarum ſpecie, mihi multum laudavit; quae exhibenda eſt cum julapio teſtaceo-cardiaco, vel cum hauſtulo liquoris *Coffee* cum lacte miſti. Opiata prudenter uſurpata maxime neceſſaria ſunt; humores enim tenuiores incraſſant, irritationis ſenſum obtundunt, et puſtulas maturant, ſi maturari poſſint: et ſane, quoties ſaeviunt admodum variolae, ſine opiatis nihil fere agere poſſumus. Si vero materia per ſputum rejecta viſcidior ſit, cum

reſpiratione

reſpiratione brevi et laborioſa, cautiſſime exhibenda ſunt opiata, et non ſine ſolutione gum. ammon. vel oxymell. ſcillitico. Denique, ad materiam puſtularum ulterius coquendam et ſimul evacuandam, multum conferunt veſicatoria, ſub imam colli vertebram, vel brachiis et tibiis internis applicata.

§ 49. Chryſtallinis adhuc periculoſiores ſunt variolae verrucoſae, quae neque in pus bonum et maturum converti, neque per vias urinarias e corpore eliminari poſſunt. Harum curatio tentanda eſt cardiacis, ſudoriferis, veſicatoriis, et medicamentis quae humores digerunt. Febri moderandae cura diligenter adhibenda eſt. Variolae vero hae (uti olim notavit Rhazes) fere ſemper lethales ſunt: quare de illarum maturatione ne vel cogitandum eſt; tales enim ſunt quae maturari non poſſunt *.

§ 50. Variolae, quas ſupra (§ 30.) sanguineas nominavi, ſi in his unquam medicinae locus ſit, iis remediis tractandae ſunt, quae humorum putredini adverſantur, et vi ſuâ ſtypticâ ſanguinem quodammodo cogunt,

* De variol. edit. Mead. cap. viii. p. 162.

cogunt, et ita ſupprimunt, ut ne quidem arterias minimas perrumpat. Qualia ſunt cortex Peruvianus, ſanguis draconis, conſerva roſarum, tinct. roſar. elix. vitrioli, atque vinum rubrum Gallicum. Haec ſub forma boli, decocti, miſturae, potûs, vel clyſmatis, exhiberi poſſunt. Quamvis variolae ſanguineae rariſſime curantur, tamen, ait cl. MEAD, "Nonnullos vidi hujuſmodi "curatione ſalvas evaſiſſe, quibus ſanguis "magna copia ſimul cum puſtulis erumpen-"tibus per iter urinae profluxerat. At hi om-"nes (quod memorabile eſt) ſub finem mor-"bi gravi aliquid paſſi ſunt; nam aut fu-"runculis in corpore obortis, aut tumoribus "in glandulis ſub auribus et axillis, qui "aegre ſuppurarunt, excruciabantur *."

§ 51. Sexta variolarum ſpecies, ſupra memorata (§ 30.), periculoſa admodum eſt, raroque remediis auſcultans. Hic autem maxima ſpes eſſe videtur in copioſa ſalivae excretione. Salivatio quae nonnunquam die primo, nonnunquam non niſi poſt biduum, incipit, primo tenuis ſecernitur, tumque facile

* De variolis, p. 46.

cile rejicitur: progrediente vero morbo, ſaliva ſenſim viſcidior evadit, et circa diem nonum decimum vel undecimum, difficillime exſcreatur. Quo tempore aeger ſiticuloſus valde eſt, inter bibendum tuſſit, liquoresque deglutiendos per nares repellit. Aliquando adeo excocta et viſcida eſt ſaliva, ut aeger tantum non ſuffocetur. "Gargariſma "neceſſario in uſum trahatur, et ut ſaepe "die nocteque ſyringa in fauces ſedulo in-"jiciatur, ſerio imperandum. Comparatur "vero illud e cereviſia tenui vel aqua hor-"dei cum melle roſarum*." Vinum album cum aqua miſtum optimum eſt: vel R. fol. ſalviae, flor. roſar. rubr. ſicc. *ana* p. iii. glycirrhiz. raſ. unc. ſs. paſſul. major. No. xii. Coque in q. ſ. aq. font. ad lib. ſs. Colaturae adde oxymel. ſimp. mel roſar. *ana* unc. ii. M. f. gargariſma.

§ 52. Quando autem, uti ſaepius accidit, aeger ſingulis momentis a ſuffocatione periclitatur, ſtupore obrutus, et ſpiritu fere undequaque praecluſo, parum tuto gargariſmati confidimus. SYDENHAMUS, hac occaſione, unc. i. ſs. infuſion.

* SYDENHAM. oper. cap. 11. p. 159.

infuſion. croc. metallor. exhibuit. Hodierni vero emeticum tutius ex tinct. ipecacuan. et oxymell. ſcillit. praeſcribunt. Sed et ipſum hoc remedium ſaepe fallit: nihilominus, uti cenſet CELSUS, praeſtat dubium quam nullum tentare auxilium.

§ 53. Ait illuſtris BOERHAAVIUS, magnam ſibi ſpem eſſe, remedium aliquod ſpecificum, veneno varioloſo oppoſitum, medicorum induſtria tandem inveniri poſſe, quo, nimirum, ita penitus extinguatur, ut, etiamſi in corpus receptum fuerit, morbum tamen non producat*. Quantum vero nobis videtur, non major affulget ſpes inveniendi remedium contra variolas prophylacticum, quam contra peſtem, febrem flavam Americanam, vel morbillos, quae fere, quemadmodum variolae, graſſantur, et homines non niſi ſemel corripiunt: atque optima, ſane, methodus qua variolarum pericula vitare poſſumus, eſt inſitio, cujus ope materia varioloſa corpori, rite praeparato et bene diſpoſito, arte infunditur; quae a BOERHAAVIO prophylaxis

* Aphor. No. 1391, 92, et 93.

prophylaxis inſitiva dicitur, et ſatis certa tutaque pronunciatur *.

Ante triginta quatuor circitèr annos, mos inſerendi variolas in Britanniam introductus eſt, qui brevi poſt medicos in partes diverſas traxit, approbantibus his, improbantibus illis novum hoc artificium. Ex collectis autem illorum rationibus, qui huic operam dederunt, apparet vix centeſimum quemque inſitivis variolis perire, cum longe plures morbus hic naturaliter ortus conſumat †. Quaedam autem nuperae ſupputationes variolarum inſitioni adhuc longe magis favent; Reverendus enim et Illuſtris Epiſcopus WORCESTRIENSIS ait, ex mille quingentis hominibus ab Chirurgis celebribus, MIDDLETON, RANBY, et HAWKINS, inoculatis, tres tantum morbo periiſſe ‡. Narrat, porro, Medicus ingenioſus LANGRISH, e duobus millibus variolis inſitivis affectis, duas tantum

E

* Aphor. No. 1403.

† Vid. JURIN's letter to Dr. COLESWORTH, containing a compariſon between the mortality of the natural ſmall-pox, and that by inoculation. *Vid. etiam* his account of the ſucceſs of inoculation; *et* MEAD de variolarum inſitione.

‡ Sermon.

tum mulieres utero gerentes mortuas eſſe, has autem invitis medicis inoculatas fuiſſe.

§ 54. Quatuordecim circitèr abhinc annis, peritiſſimi illi Medici, et in praxi medica multum verſati, EB. GILCHRIST et JO. GORDON, quibus me devinctiſſimum eſſe fateor, ille Dumfriſii, hic autem Glaſguae, ſalutarem hanc artem, unde multa in totam circumjacentem regionem commoda fluxere, ſumma cum laude introduxerunt.

§ 55. Adeo mitis plerumque eſt hic morbus ab inſitione genitus, ut opem medici vix deſideret; ſi ſecus autem acciderit, quod nonnunquam fit, curationes eaedem, quas in ſingulis variolarum generibus propoſui, convenient.

§ 56. Licet mihi, utpote experto, affirmare, non ſolum febrem putridam, vel ſecundariam, ut vulgo appellatur, ſed et caecitatem, cicatrices, aliaque id genus mala, ex peſte hac funeſta derivata, inſitionis ope effugi poſſe.

Quam amica ac ſalutaris hujus Inſulae virginibus haec praxis fieri poſſit, quantumque conducat ad conſervandam pulchritudi-

nem

nem illam iis congenitam, qua caeteris gentibus omnino antecellunt, ſimulque ad deformitatem iſtam evitandam, quae, heu! nimis ſaepe variolas ſubſequitur, omnibus notum. Nec quicquam, ne ipſae quidem divitiae, quae a plerisque tantopere expetuntur, gratiam magis conciliat et obſervantiam, quam vultus honeſtus. Quanquam enim animi dotes corporis formae longe praeſtant, venuſtae tamen et liberali faciei laus ſua ac honos in ſaecula manebunt.

F I N I S.